

sive gradus. nam; 1. Satisfactio Christi non sit quotidie. Ap-  
plicatio meriti Christi sit quotidie. Ergò applicatio meriti  
Christi, non est satisfactio Christi. Major patet: Semel enim  
Christus oblatus est, ut expiaret peccata multorum Heb.9,v.28.  
& unicā oblatione perfectos effecit in perpetuum eos, qui san-  
ctificantur cap. 10, v. 14. 2. Satisfactio pro mundi peccatis est  
actio una numero Heb. 9, v. ult. Acquisitio & applicatio meri-  
ti Christi non sunt actio una numero. Ergò acquisitio & appli-  
cacio meriti Christi, non sunt satisfactio Christi. Minor patet  
**ex Syllogismo præcedente.** Si igitur applicationem meriti Chri-  
sti se jungas ab ipsā satisfactione (*ut svalent allatæ rationes*) seque-  
tur satisfactionem consistere in sola meriti acquisitione; quæ  
æqualiter competit electis & reprobis: Hinc ita: Acquisitio  
meriti Christi æqualiter competit electis & reprobis. Satisfa-  
ctio Christi est acquisitio meriti Christi. Ergò satisfactio Chri-  
sti æqualiter competit electis & reprobis. & consequenter Chri-  
stus non aliter satisfecit pro electis sive ovibus, aliter pro reprobis sive hircis.

§. IO. Ultimò notandum, non esse *Peccatis æquè*  
latè patentes, satisfacere pro aliquo, & Salvatorem esse alicujus;  
illa enim loquutio solam meriti Christi acquisitionem; huc  
meriti Christi & acquisitionem & acquisiti applicationem de-  
signat. Concedimus ergò, Christum alio modo dici posse  
Salvatorem electorum, alio modo reproborum; illorum qui-  
dem, qvia salutem ijs & acquisivit, & per fidem applicavit, ho-  
rum verò tantum ideo, qvia salutem ipsis acquisivit, quam ob  
incredulitatem applicare ipsis non poterat, qvod applica-  
tionem illam fidei conditione circumscripsisset: Qvod autem pos-  
sit dici aliter satisfisse pro electis & aliter pro reprobis, id ne-  
gamus; qvia satisfactio Christi, & meriti Christi acquisitione pa-  
ri latitudinis passu ambulant, & retro commeant.

§. XI. Tandem nec silentii nube condendum;  
phrasin hanc (*Christus aliter satisfecit pro electis aliter pro reprobis*) à  
quibusdam Calvinianis usurpari. ita enim scribit Gviliel. Perkin-  
sius in tractatu de prædestinationis modo & ordine, mihi pag. 70. Secundo  
respon-